



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 96. Alia dissidia inter Hispanum & Gallum Oratores hoc anno composita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

fem & Vindascinum Pontifici restitueret, prout etiam biennio post factum est, postquam Cardinalis Nepos in Franciam, injuriam deprecaturus venerat. Ita demum non sine Pontificis molestia, & Ecclesiastici honoris dispendio finita est contentio, quæ ex privato Nationum odio exorta in publicam Principum indignationem erupit, & hodiedum adhuc mutux averfionis vestigia reliquit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1662.

## §. XCVI.

*Alia diffidia inter Hispanum & Gal-  
lum Oratores hoc anno com-  
posita.*

Jam anno priori die decima Octobris Battevilæus Hispani Regis apud Anglos Orator cum Estradæo Comite Franciæ Oratore graves habebat similitates; cum enim Sueciæ Legatus solemnè pompa Londinum ingrederetur, eumque die decima Octobris Principum Oratores honorifice comitarentur, Hispanus Orator, cum Regi suo primas deberi crederet, Francici Legati currum per vim præcessit: Reclamabat Estradæus; oritur inter utriusque Legati famulos gravis verborum rixa, concurrunt ex vili plebecula plusquam sex millia, alii vero Hispano auro corrupti, in

*Bussi Hist.  
de Louis  
XIV. p. 136.*

X x 5

Hi-



Sæc. XVII. Hispanorum favorem dimicant, Gallici  
 A. C. 1662. Oratoris curram dirumpunt, equos  
 trucidant, Legati Filium interficiunt,  
 & Gallos ignominiose inflictis vulneribus repellunt. Hoc nuntio Franciæ Rex impotenti ira correptus, Fuentaldagnam Hispaniæ Oratorem ab aula recedere, Aubuffonium Embrodunensem Archiepiscopum Madrito in Franciam reverti jussit, atque injuriam, qua pacem esse violatam credebat, armis in Belgium inferendis se ultorum comminatus est, nisi abunde sibi ab Hispano satisfaceret: Igitur Philippus IV. Hispaniæ Rex, cum Belgium non ita pridem per onerosam pacem redemptum amittere vereretur, ut bellum averteret, nullum non movit lapidem, hancque in rem Fontanum Comitem in Gallias ablegavit, qui palam coram Rege in Lupara die decima quarta Maji declarabat, Regem suum haud prætere, ut ejus Oratores cum Franciæ Legatis in ulla Europæ Aula concurrerent, atque ideo Battevilleum exauctoratum Londino in Hispaniam revocasset. Hujus declarationis Franciæ Rex cunctos Principum Legatos, quorum tum viginti septem Parisiis aderant, testes esse voluit, cumque Hispani Legati verba essent ambigua, ad Papæ Nuntium, ceterosque Oratores converius, inquit,



inquit, *testes estis, quod Hispaniæ Rex mihi ubique primum locum cedat*: Id mo-  
 leste quidem ferebat Hispanus, quin  
 tamen in novæ indignationis motus  
 prorumperet, sed duntaxat modeste  
 apud Ludovicum Regem desuper que-  
 reretur. Hac igitur Hispani Regis mo-  
 deratione hæc dissidia, quæ ab ambi-  
 tione ortum traxerant, feliciter fuere  
 composita.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1662.

## §. XCVII.

*Hungariæ Procerum comitia Possonii  
 celebrata.*

**A**gebatur adhuc de concilianda pace  
 inter Cæsarem, & Turcam; cum  
 autem hic Transylvaniam occupare de-  
 crevisset, ac pro summo imperio Mi-  
 chaelem Abassium in Transylvaniæ  
 Principem agnosci, arrogantius ab Im-  
 peratore peteret, nil propius esse vide-  
 batur, quam cruentum utrinque bel-  
 lum, cui jamjam initium fecerat ipse-  
 met Abassius, qui Turcarum copiis  
 suffultus, Joannem Keminium ejectum  
 Transylvaniæ Principem aggressus, a  
 suis proditum cepit, abscissumque ejus  
 caput Turcis Varadinum submitit: in-  
 super die vigesima quinta Aprilis Clau-  
 diopolin obsederat, qui tamen a Ger-  
 manis in obsessorum opem accurrenti-  
 bus

*Han Panon.  
 nova.  
 Ortel. chron.  
 Hung.  
 Priorat. hist.  
 Leop. p. 2.  
 l. 2. p. 105.  
 Betlen. rer.  
 Transf. l. 3.*